



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

6. Pvbcs Germana.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

ductor popularium meruerat, notum & celebrem in Vrbe respexisse velint Virgilium. lib. II. Æneid. v. 642.

*Deicit Herminium, nudo cui vertice fulva
Cæsaries, nudique humeri; nec vulnera terrent.*

Postquam multa Arminij facta insignia Tacitus. I. & 2. An. memoravit, præclarissimo immaturum ejus obitum elogio profequitur. *Ceterum Arminius abscedentibus Romanis, & pulso Maroboduo, regnum affectans, libertatem popularium aduersam habuit: petitusque armis, cum variâ fortunâ certaret, dolo propinquorum cecidit, liberator haud dubiè Germania, & qui non primordia populi Romani, sicut alij reges ducésque, sed florentissimum imperium lacefferit: prælijs ambiguus, bello non victus, septem & triginta annos vitæ, duodecim potentia explevit; caniturque adhuc apud barbaras gentes.*

5. ET CAMPO IN MEDIO. Lipf. Mollerus. Lindenbrochius. Hamelmañus. Reineccius. Serrarius. Ifac. Pontanus. Calvisius. Pideritius. Stangevolius. l. I. suprà § 2. citatis. Hi omnes inter monumenta victoriæ de Romanis reportatæ numerant campum, seu jugi planitiem, vulgò *VVintfeld*, appellatam haud dubiè à victoriâ; nam vincere Germanis *VVinnen* dicitur; verique simile videtur, de campo hoc loqui. Tacit. lib. I. An. *Medio campi albertia ossa, ut fugerant, ut resisterant, disjecta vel aggerata.*

6. PVBES GERMANA. Tacit. I. An. Suet. in Aug. c. 23. Flor. Vellejus. II. cc. Verè Germana pubes non natione tantum, verum etiam virtute, cujus cum aliàs sæpissimè, tum in prælio Variano illustre specimen dedit; falsò autem & immeritò de Germanis Vellejus scribit, *quod nisi expertus vix credebat, in summâ feritate versutissimi, natumque mendacio genus.* Alienissima hæc calumnia ab indole, & moribus

ribus gentis, cujus fides summam semper laudem habuit.

7: IMPERII GEMINAS NOBILE PIGNVS
AVES. Florus. l. 4. c. 2. Tacit. 2. An. *Et cladis ejus superstites pugnam aut vincula elapsi referebant, hic cecidisse legatos, illic raptas aquilas, quas Germanicus Romanas aves, propria legionum numina apud eundem lib. 2. An. appellavit.*

8. DESINAT EVPHRATES PARTHOS
MEMORARE TRIUMPHOS. Grave quidem vulnus clade Crassianâ populus Romanus à Parthis accepit. Flor. l. 3. c. 11. ingens inde fama Euphrati; verum multis nominibus

9. CLARIOR EST CAESO LVPPIA
QVINCTILIO: de quo reportata victoria magnum nomen decusque gerit in elogio, quo Germaniam Tacit. de morib. Germ. ornavit. *Sexcentimum & quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Caelio Metello, ac Papirio Carbone Coss. ex quo si ad alterum Imperatoris Trajani consulatum computemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur, tam diu Germania vincitur. Medio tam longi ævi spatium multa invicem damna. Non Samnis, non Pœni, non Hispania Gallieve, ne Parthi quidem sæpius admonuere. quippe per regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis, quam cadem Crassi, amisso & ipse Pacoro, infra Ventidium dejectus Oriens objecerit? At GERMANI, Carbone, & Cassio, & Scauro Aurelio, & Servilio Cepione, M. quoque Manlio fuis vel captis, quinque simul consulares exercitus populo Romano; Varum tresque cum eo legiones etiam Casari abstulerunt. nec impunè C. Marius in Italiâ, divus Iulius in Galliâ, Drusus ac Nero & Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cesaris mina in ludibrium versa. Inde otium, donec occasione discordiæ nostræ*